UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

INSTITV=||TIONVM IVRIS CA-||NONICI LIBRI|| QVATVOR.||

Cucchi, Marco Antonio

Coloniae, 1564

VD16 ZV 4150

De temporibus ordinationum. vi.

urn:nbn:de:hbz:466:1-62908

Visual Library

amicè quidem erit monendus, vt illos ne velit ambire.[s]

Illiteratus quoque non poteſt tonſuram primam capere, nec coniugatus, niſi volens religionem intrare, aut ad ſacros ordines promoueri: prout eſt ſacris canonibus diffinitum.[t]

Et cum in teneris annis non poſsit conſilij, & morum maturitas vigere, quæ ante ætatem, vt plurimum venire non ſolent, idcirco certa ætas in ſingulis ordinibus deſideratur, nam primùm ad infimum etiam ordinem nemo infans, id eſt minor ſeptem annis admittitur, niſi, vt religioni ſe deuoueat.[u] Ad quatuor autem alios ordines minores, vbi exceſsit infantiam quis aſpirare poteſt.[x] At ſubdiaconus anno decimo octauo, Diaconus viceſimo, Presbyter quinto ſupra viceſimũ, Epiſcopus triceſimo quis poteſt eſſe.[y]

s *c. ex tenore vbi Butri. de tẽp. ordi.*

t *c. fin. de temp. ordi. in vi.*

u *d. c. fin. vbi gl. ver. infanti.*

x *glo. cle. fin. in fin. de æta. & quælita. & glo. in ſumma. lxxvii. diſt.*

y *c. in ſingulis lxxvii. diſt. d. cle. fi.*

De Temporibus Ordinationum. Tit. VI.

Certa præterea tempora ſtatuta ſunt, extra quæ nefas ſit ordinibus quempiam aggregati, nam ſtatis quatuor anni tempeſtatibus, quibus ab

eccleſia indicuntur ieiunia, & ſabbato, quo Chriſti exurgentis piè colitur & celebratur memoria, item Sabbato, quod diem dominicã, quæ de paſsione dicitur, præcedit, quæ media quadrageſimæ hebdomada eſt, ſacri ordines expleri poſſunt.[a] alijs diebus non poſſunt, niſi ab ipſo ſummo Pontifice, nec conſuetudine vlla hoc ius mutari poteſt.[b] & ſupradictis temporibus non obſeruatis, qui contra hæc ad ordines fuerint recepti, ab illis tandiu reddi expertes debent, donec fuerint reſtitutionis gratiam conſequuti: quiq; eos admiſerit, prohibebitur alios deinceps ad hos ordines promouere.[c] nec minus tamen hoc modo recepti Charactere compuncti erunt, prohibentur enim tantũ, quæ eius ordinis exequi, quamuis intra ordinem ſint.[d]

Minores autem ordines quibuslibet feſtis diebus vni aut alteri conferri poſſunt.[e]

Eadem autem perſona eodem die vel duobus cõtinuatio ieiunio ad duos ordines ſacros aſcendere nequit: quinimò, ſi quis aliquem eodẽ die ad plures ſacros ordines admiſerit, eſt tandiu ab ordinandi poteſtate ſuſpendendus,

a *c.ordinatens.lxxv. diſt.*

b *c.ſane. de temp.ordi.*

c *c. cũ quidã c.ſane. c.literas eod.titu.*

d *c.conſultationi. eodem titu. Ab.d.c.cũ quidam. num.5.*

e *c.de eo. eo.titu.*

donec gratiam meruerit obtinere.[f]

f c.dilectus. eod.tit.

Vidimus de ordinibus clericorum, quique ad eos ordines admittantur, quiúe admittēdi poteſtatem habeant, & quibus temporibus: Deinceps videndum erit de officijs, & dignitatibus eorum, quæ cum electione frequenter conferantur, priùs de ipſa electione nobis diſſerendum eſt.

De electione. Tit. VII.

ORdinarium eſt, vt nō poſsit quis dignitate, aut munere aliquo præcipuo in aliquo collegio eminere, niſi ab ipſo collegio ad id lectus ſit, ſeu Epiſcopi, ſeu alterius Præfecti nomen affectet.[a] Quinimò & Pontifex ipſe Rom. qui vniuerſi orbis habenas moderatur Chriſti, vicaria opera fungens in terris, eò faſtigij non niſi ex Cardinalium electione aſſumitur, in qua celebranda, quæ forma vel ſolennitas exigatur, diſertè præſcripſit Gregor. X. in generali cōcilio Lugdunenſi, & Clemens V. vnde petenda eſt nam hodie ferè ſeruatur.[b]

a c.i.eod. titu.

b c.vbi periculū. in vi. & cle. ne Romani.

Verum quia ipſe Rom. Pontifex eorum primam curam gerit, quæ anima-

rum